

I. N. S. S. T.
EXERCITIUM ACADEMICUM,
De
**CANTU
CYCNO RUM,**

Quod
Veniā Ampl. FACULT. PHILOSOPHICÆ
In inclutâ Academiâ aboënsi,
Sub

P R A E S I D I O ,
Viri Pl. Rever. Amplissimique
D N . TORST. RUDEEN,
Poësios Professoris Ordinarii,
Publicè examinandum modestè
suffit

BENEDICTUS GRANRODT /
Ost. Borbn.

Die 5 Cal. Junii, Anno M. DCC. III.
In Auditorio Majori, horis con-
suetis.

Exc. Jo. WALL.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
Magnæ Fidei Viro,
In CHRISTO PATRI ac DOMINO
Reverendissimo,

DN. JOHANNI
GEZELIO,

S. S. Theologiæ Doctori
Consummatissimo,

Celebris Dicecseos Ab. EPISCOPO,
Eminentissimo,

Regisq; ibid. Acad. PRO-CANCELLARIO
Magnificentissimo,

Nec non
Consistorii Eccles. PRÆSIDE
Gravissimo,

Et Scholarum EPHORO Excel-
lentissimo,

DOMINO, PATRONO ac MÆCENATI
meo summo, benignissimoq;

VITAM CUM FELICITATE!

ME quia non lacuit, quam sis, Placidissime Præsul,

Submissis animis facit, radiisq; fatoris
Quam foreas humiles tibi, Summe Patrone,
clientes;

Spem mihi dat venia, modo ne sperare negebur,
Implicito curis dum me præbere molestum
Audeo, non reputans quæ sic temerarius ausus.
Spero licere ramæ, quod cernuus obsecro supplex,
Ante pedes ausim dum exilem ponere factum
Ingenii tenuis. Mitis Pater accipe chaplam,
Que rufis hos minime vulnus est dignus
subire

Quamculacunq; datur, sac habens, sibi misericordia favoris.

Semper in ore mibi superabunt fervida vota
Ut Prodeesse diu multis DEUS, omnia qui dat,
Deus sibi! Didimum quo nomen, nostra sa-
lusque
gloriar. Hinc cœli splendescas fulgida stella.

REVERENDIS. PATERNITATIS

Humillimus Cliens
Bened. Granroot.

Pietate, Eruditione, ac

Pl. Reverendis, Clariss: Do

DN. M. LAURENTIO FORBUS,

Pastori & Præposito in Kemi cele-
bratissimo vigilantissimoque.

DN. JOHANNI FORBUS,

Pastori in Sijkajoki meritissimo.

DN. SIGFRIDO BONELIO,

Pastori in Kusamo honoratissimo.

PRÆCE

PROMO

AVUN

at

EVER

nullo non tem

RIS

Dignitate conspicuis,

Etsimis, spectatissimo,

DN. BARTHOLDO VHAEL,

Pastori in Imla dignissimo ac fi-
delissimo.

DN. M. ERICO WALLENIO,

Rectori Scholæ Uhloënsis dexter-
rimo.

DN. JOHANNI SIPELIO,

Senatori ac Civi Ubl. præstantissimo.

PTORIBUS,

TORIBUS,

CULO,

q̄

GETIS

pore suspiciendis.

Gām boreianus concepit spem de
arbore à se plantatâ, boni olim
ex eadem posuundi fructus, si ipsum
sefellerit; vanam multorum annorum ope-
ram dolebit valde. Ego sub vestra, Mæ-
cenates optimi, indefessâ curâ, insignis-
que in meum commodum studii, & nunquam
non cumulati beneficij aurâ, in literarum
viridario proficiens, semper quidem, ne tam
justi Vobis doloris materiam præberem, sum
adnixus; est autem summè mihi dolendū, quod
admodum insipidas feram primitias, qua quo-
dem sapidiores esse nequiverunt, uspote prime
vite suæ dum consecuta maturitatem: Quas
namen quâ par est observantia precor, ut
equi bonique consularis, quandoquidem opis-
me quoque arbores non nisi tales primo
tempore ferant. Meum, ut nunc, ita semper
fundam dorum, ut indies pia laudis capiatio
incrementa, salutisque vestra & incoluntissas
feris valde annis terminetur. Manens in-
definenter

CL. NOMINUM VESTRORUM

Cultor deoivas & officiosus
B. G.

The
Förnåhme Handelsenän i uhlå/
Ehreborne och Wål-Achtade
Her JOHAN BONELIUS,
För sine Faderlige Wålgärningar
beprislig /

Dt

Her CARL BONELIUS,
Mine
Högtåhrade Mor-Bröder.

S å offsta tançan i mit sinne plår
sig fästa/
Om alt hwad till mit gagn/hwad
omsorg för mit båsta
I härtils dragit ha'en/ och jämwåhl
dragen än'
Seen lißwek afwundzman förlångst
min Fahr tog hän'
Så

Så faller thetta slut: iag wore jordens
börda /
Om en med hōrsam tienst iag wist Ehr
thetför wörda /
Ja svårast jordens thngd / en otack-
samet Siahl /
Om iag nåst GUD en skull Ehr ågna
alt mitt våhl.
Förnähr dock meera en till wedergäll-
ning gifwa /
Ån uthi lydno städz och tacksamhet för-
blifwa /
Annammen ty med gunst det likla af
min hand /
Som vara skal min plicht och Eder
godhetz band.

B. Grankoot.



LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

Dividem sapient me publicè
hujus exercitii specimen sus-
cepturum timor deserruit,
ne immaturus tanto molli-
mini, quod maturorum o-
mnino poposcisset operam,
succumberem. Cogitans enim quād modicum
mihi est ingenium, quād exigua eruditionis
copia, imò curtissima rerum omnium suppellex
non potui non hærere, auderemne simplicitate
prostitutâ argumentum aliquod suscipere tra-
ctandum. Verūm enimvero ut, quoad pati-
untur vires, quacunque ratione responderem
hortatibus exspectationique optimè de me me-

A

re.

rentium, non acquiebat animus, quin aliquid tentarem. Academicum itaque fecutus morem, presentem de cantu cygnorum materiam brevis tentum scbedio delineare constitui, sic quidem, ut aliorum de eo sententiis prolatis, modestèque examinatis, meam deinde suspensionem baut quicquam dissidentium auctoritati derogantem subjiciam. Tu interim B. L. in hoc scripto quod jam sterili Minerva edo, ne desideres que ab illis sunt expectanda, quibus ingenium est felicius, quique omne genus preclarorum voluminum pluribus annis pervagati, magnam rerum scientiam hauserunt. Et tue dum me equizati commendo, Vale, & frui jube spe, quam de humanitate tua concepi certissimam.

G. I.

I animus esset tritam omnibus ferè disputaturis, semitam inire, primus philologicæ vocum huic opellæ præfixarum translationi labor esset impendendus; Levioris verò indaginis cum sint, peregrinumque operæ ex inquisitis redeat premium

cium, ne cui tedium suboriretur, ca-
 vendum putavi. Ideoque brevibus tan-
 tum cycni etymologiam noro; Constat
 illum à Lexicographis (a) ob albedi-
 nem à *κύδρος*, quo Syri candidum notant
 derivari, vel *κύκρον* quasi *κύματιν* vocari,
 quod fluctibus innatet, in quâ de-
 rivatione docti laudant convenientiam,
 si cum synonymo *Olor* ex *Ὥλος* καὶ
εγένεσις ad quorundam mentem composi-
 to, conferatur, nam quâ formam ex-
 ternam totus pulcher est & speciosus.
 Etsi alij Olorem ab *ώδης* l. pro d. positâ,
 ut Ulysses pro *Οὐραστής*, ductum existi-
 mant. Et quoniam à sono vocis aves
 denominare nunquam fuit insolens, non
 improbaverim quoque hanc senten-
 tiā doctissimi M. Varronis, (b) cui et-
 iam ultrò adstipulatur Isidorus (c) mul-
 ta, inquiens, *avium nomina à sono vocis*
constat esse composita: ut Grus, cordus, cy-
anus, pavus, milvus, &c. varietas namque vo-
 cis homines docuit, qui nominarentur. Nec
 quis

(a) vid. Alsted. in Encycl. l. 5. Lex. Grec. & Scbre-
del. L. (b) de L. lat. lib. 4. (c) Orig. l. 12. c. 7.

quis negaverit, Adamum nomina, quæ dedit singulis animalibus, partim ab iis quæ in sensus incurribant, voce, colore, pilo, staturâ & corporis externâ specie sumsisse, partim ab iis quæ intus latebant, solique animo se offerebant, inde atque moribus. Quamobrem **חָרָב** Hebræum nomen, quo Græci LXX. hanc avem ob intimorem amorem dicunt volunt, Lev. II. v. 18. ut naturæ eius contrarium removet Bochartus; (*d*) cycnos, utut summis evehantur laudibus, immites esse & ἀληλοφάγες, qui inter se alii aliorum carne vescantur, Plinio (*e*) cum aliis docente. Inde est quod in fabulis homines duri & immites in cycnos mutati narrantur, quorum paucis post metamorphosin videbimus. Usurpatur vox cycnus non raro de Poëtis, quod patet ex Virgilio: (*f*).

Cantantes sublime ferent ad sydera cycni.
Ita Horatius Pindarum adpellat Dircaeum cycnum, (*g*) insignitur quoque eo
no-

(*d*) in Hierozoic. p. 2. l. 2. c. 25. (*e*) l. 10. c. 23.

(*f*) Eclog. 9. (*g*) Carm. 3. 4. ode 2.

nomine sydus cœleste; & per αὐλόφερον
 Æthiopes cycni dicuntur, quemadmodū
 hodieque Æthiops Venetis, *Bianco* salu-
 tatur. Quod autem de his in præsenti a-
 gere non instituam, notius est quam ut
 memorato opus sit.

S. II.

Omiso prolixiori vocum examine,
 communem, de hujus avis cantu
 veterum adeò scriptis, & vulgari quo-
 que sermone celebrato, sententiam nar-
 rabo. Non solum existimatum, sed et-
 iam pro vero habitum & adfirmatum
 est, insignem cycnis in canendo compe-
 tere suavitatem, ob quam Musis can-
 torum præsidibus dicati, & epitheton
 nacti creduntur, quod Musici, Musa-
 rumque aves nominentur, ut de illis
 cecinit Callimachus: (b)

ἡ μὲν ἔΦη κύκνοι δὲ Θεῶν μέλπυτες ἀοιδοὶ¹
 Μηόνιον Πακτωλὸν σκυκλώσαντο λιπόντες
 ἐδομάκις τῇ Δῆλον ἐπήσιουν δὲ λεχεῖη
 Μασίων ὄρνιθες ἀοιδόταται πεπεινῶν.

Hes

(b) vid. Myt. Nas. Com. l. 7. cap. 25.

Hec dixit: cyenique DEI prædulce canentes,
Meonum linquunt Pactolum, tergi quaterq;
Mox circa Delum volitant, circaque puellam,
Musarum volvres avibus mageturba canora.

Scilicet tam delectabili voce credun-
tur modulari, ut animos hominum ista
dulcedine capros mirabiliter perfun-
dant, unde Horatius: (i)

*O Mutis quoque piscibus,
Donatura cycni, si libeat sonum!*

Hanc canendi festivitatem illis compe-
tere vult Ulysses Aldrovandus, (k) cum
aliis argumentis, tum præcipue præ-
clara illâ & suspiciendâ asperæ arteriæ
strukturâ persuasus, qvam cycni, ex e-
jus observatione tubæ in modum refle-
xam, ad vocem artificiosè modulandam
â naturâ obtinuisse videntur. Cujus di-
ctis fidem addit Micrælius (l) sibi, in-
quiens, omne dubium de cygnorum can-
tu tubas imitante sublatum, quippe cui
ê Sueciâ in patriam redeunti, ad insu-
lam quandam Pomeraniæ, suavissimum

am-

(i) L. 4. Carm. ode. 3. (k) Ornithol. l. 29. c. 2.
(l) in Lexic. Philos.

amplæ eorū multitudinē audire contigisset. Simile qvid de Pendasio tradit Bechmannus, (m) quod is cantantes in lacu Mantuano audierit, quodqve propè Londinum in Tamesi festivis eorumdem cantibus subeuntes classes excipiuntur; funeris verò sui an sint cantatores, secusve, id dubium habet. Cæterū ut aliàs cantitare feruntur, ita maximè horā mortis imminente gestire, dulcissimisque concentibus finem suum præstolari, & eo excepto alacres mori, ē Poëtis imprimis Martialis (n) nobis persuadere conatur:

*Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipse sui.*

Quod idem nec Ovidius (o) negat, licet flebiliter fieri dicat:

*Facens ripā deflere Caystrius ales,
Dicitar ore suam deficiente necem.*

Per Caystrum alitem, cycnos à Caystro Lydiæ fluvio sic adpellatos intelligit, ibi enim freqventes versari solebant.

Ex

(m) Syst. Phys. l. 6 c. 24. (n) l. 12. Epigr. 77.
(o) lib. 5. Trist. El. 1.

Ex hac eadem sententiâ, de suavissimâ eorum proximè ante mortem melodiâ, proverbio jāctatur: *cycnea cantio*; id quod de opere alicujus paulò ante finem vi-
æ elaborato, suavi ac polito, præcipue si cantilenam scripserit, eamque moriens cecinerit, dici suevit. Sic Simeonis *cantio*, quā cecinit ultimò Christum complexus, cycnea audit. Et Cicero (p) de *L. Crasso*, illa, inquit, tanquam cycnea fuit divini hominis vox & oratio, quam quasi exspectantes, post ejus interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur.

§. III.

Innuebam modò fabulam de cycneâ metamorphosi, qvoniam ergo non incommodus ei referendæ visus est mihi hic locus, neqve ulterius eam differam. Multis hoc fatum adsingitur, & qvidem tam de nomine, quam causâ propter quam, in diversas abeunt scriptores sententias. Tribus verò potissimum conti-

gis;

(p) lib. 3. de Orat. 2.

gisse memorat Celeberr: Llodius, (q) im-
 primis Cycno Neptuni filio, quem omni
 ex parte invulnerabilem, tempore belli
 Trojani, Achilles saepius frustra jaculis
 adpetitum, re tandem intellectâ, humi
 prostravit, genibusque collo innixus ex-
 animavit, cumque cadaver spoliaturus
 esset, arma invenit vacua & illum à Pa-
 rente in avem sui nominis mutatum;
 quem aetum jucundè depinxit Ovidius,
 (r) pauca tantum adferam:

--- *Impulsum resupino corpore cycnum.
 Vi multâ vertit, terraque adfixit Achilles.
 Tum clypeo, genibusq; premens praecordia duris,
 Vincta trahit galea, quæ presso subdita mento
 Elidunt fauces, & respiramen iterque
 Eripiunt anima. Vectum spoliare parabat:
 Arma relicta videt, corpus DEllSæquoris albam
 Contulit in volucrem, cuius modonome habebat.
 Alterius etiam Cygni Hyries filii, simi-
 liter in olorem versi, mentionem fa-
 cit Ovidius: (s)*

B

Phyl-

(q) in Dic̄t. Poët. voce cycnus (r) Met. I.

22. fab. 3. (s) Met. lib. 7. fab. 13.

Phyllius amator, puer
 Præmia poscenci, taurum suprema negavit.
 Ille indignatus, cupies dare, dixit, & alto
 Desiluit saxo; cuncti cecidisse putabant:
 Factus olor niveis pendebat in aëre pennis.
 Tertius Cycnus, Ligurum Rex insola-
 biliter Phaëtonis propinqui sui necem
 deflens, in hanc avem commutatus fer-
 tur, quod liquet ex Virgilio (t)

Non ego te, Ligurum duxor, fortissime bello,
 Transferim cycne, &c.

Namque ferunt lucubcynum Phaëtonis amati,
 Populeas inter frondes, umbramque sororum
 Dum canit, & mœstum musa solatur amore,
 Canentem molli plumâ duxisse senectam,
 Linquentem terras & sidera voce sequentem.
 Qvod idem, ut & avern insuper ipsam,
 ejusque naturam lepidè admodum ex-
 ponit iterum Ovidius; (u) ideoque ejus,
 egregia cum sint, non vereor hoc trans-
 locare verba:

Ille (Ligurum Rex) relicto
 Imperio, ripas virides, amnemque querelis

Erio

(t) Eneid. l. 10. v. 185. (u) Met. l. 2. fab. 4.

Eridanum implerat, sylvamque sororibus
auctam:

Cum vox est tenuata viro, eaque capillos
Dissimulant plumæ, collumque à pectore longè
Porrigitur digitosque ligat junctura rubentes:
Penna latus velat, tenet os sine acumine ro-
strum;

Fit nova cycnus avis, nec se cæloque Jovis
Credit, ut injustè missi memor ignis ab illo;
Stagna petit patulosque lacus; igneus, perosus,
Quæ colat, elegit, contraria flumina flammis.
Pluribus adhæc ut Cycno Martis filio,
Diomedis sociis, Jovique ipsi id genus
metamorphosis vel species adsumta ad-
scribitur; sed quorsum hæc recensendo
vel me vel Lectorem meum fatigo,
cum nec instituti sit de iis talibus li-
tes aliquas movere? Aut quis sanæ
mentis eò adducitur, ut credat unquam
fuisse tempus, quo revera homines ita
sint in aves, vel plantas, boves aut alias
res mutati, sicut Poëtæ fabulantur? Tri-
buendum ergo eorum licentiæ & sua-
vitati, ut quæ cæteroquin Orator non
si-

sine mendacii culpâ vellet persuadere, his nemo vitio vertat, si quosdam ob mores degeneres, naturæque cum brutiis adsinitatem, in eadem jucundo metro versos effingant. Sic plerique horum crudelitatis arguuntur, Imprimis Neptuni filius, qui uxorem Philonomen proriâ manu necasse, filiumque Tenrem, arcâ inclusum in mare conjectisse narratur. (x) Insignis quoque in hâc arte fuit Martis filius; in Thessaliâ enim transeuntes occidit, Patri ex cæsorum capitibus templum erecturus. Reliquos, si probi fuerint, qui novit, laudet.

§. IV.

Ad prius de cantu negotium redibo, adlatasque Poëtarum opiniones, et iam Philosophorum adplausum obtinuisse ostendam. Aristoteles, designato quām cycni sive olores sint pulchri, quām multam sobolem progignentes, in lacubus & paludibus viventes, iracundia-

(x) Bochart. in Hierozoic. loc. cit.

diæque obnoxii; mox (y) ὥδικοὶ δέ, inquit, εἰσι, καὶ περὶ τὰς τελευτὰς μάλιστα ἄδοισι, b.e. canori sunt, & præcipue jam jam morituri canunt: Flebili vero voce, quod satis ibidem quoque indicat. Inter alios hujus sententiæ patronos eximii sunt Plato cum Cicerone, qui de re eadem uno quasi ore loquuti videntur. Verba Platonis sunt, Marsilio Ficino transferente: (z) Cycni quando se brevi præsentient morituros, tunc magis admodum dulciusque canunt quam antea consuerint, congratulantes quod ad DEUM sint, cuius erant famuli, jam migraturi. Indignatur deinde aliquos, hos ex dolore mortem lugere, opinatos esse, nullam avem ali, quo incommodo affectam cantui indulgere existimans. Dat etiam cau-
sam, quare vaticinentur ac cantent: scilicet, quod Phœbi aves a Phœbo, (Apollo) Musarum duce divinandi habeant facultatem, sicque fati sui non possint
ef-

(y) Hist. An. lib. 9. c. 12. (z) in Phædon.

p. m. 221. vid. Cic. l. l. Tus. Q. cap. 30.

esse ignaræ. Deinde quod providentes
quid in morte boni sit, vel certè quan-
tum molestiarum, quibus heic pressi-
erant, sint relicturi, canendo imminentis
post mortem status dulcedinem præci-
piant, quæ eò adspirantibus pñis dolo-
rem certe ac timorem omnem in mor-
tis confinio abesse jubet. Ab hoc ac-
cipiens locutus est Cicero, simillima ita-
que verba adscribere supersedebo. Plu-
res si investigandi essent hujus opinionis
auctores, & mihi eorum major daretur
copia, plurium quoq; superioribus qua-
drare sententias non diffidarem. Inter-
rim quanta apud veteres de cygnorum
cantu fama viguerit, vel ex adductis
non obscurè colligi potest.

§. V.

Jam quid de cantus cycnei veritate sic
Jhabendum si quis me roget, dico ajen-
tium non minorem esse turbam ac est
negantium, & auctores utrinque laudari
suâ ætate celeberrimos: horum tamen
qui

qui negant, rationibus motum, me quidem, cantum illum cycni moribundi in fabulis habere juxta confiteor. Neque enim credo quemquam nostrum, quibus tamen saepius avis haec est conspecta, dulcem illam sive moribundi cycni, sive a morte remotioris vocem & cantum auribus suis hausisse; quin prorsus contrarium omnium docuit temporum experientia, esse scilicet asperam streperamque huic avi vocem quamdiu vivit. Unde cum Virgilio recte fateri habemus: (a)

Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Et cum Æliano, (b) respondere iis qui nobis adversantur: πεπίσευται ὅτι αὐτοὶ εἴναι δὲ αὐθόντος κύκνος ἐπι θηρα, τοιως δὲ δὲ αλλος, i.e. creditur canere, ego vero cynam canere nunquam audivi, fortasse neque aliis. Quod si tamen Micrælio, cuius supra nobis relatio memorata, quis fidem velit habere; cogitet, an, quemadmodum omnium horum una est na-

tu-

(a) Aeneid. l. II. 458. (b) Hist. Var. l. I. c. 14.

tura, ita vox quoque non sit eadem?
 Id sanè neutquam Luciano contigit,
 qui hujus unius cycnei cantus & electri
 famâ ductus Italiam adiit, rei verita-
 tem exploraturus: cui nautæ Padenses
 de hoc sciscitanti, (c) sublato risu, (ludere
 enim & mendacia narrare eum existi-
 , mabant) Nos, inquiunt, semper remi-
 , gandi studio operam dantes, ac penè
 , omnem à puero ætatem laboribus in
 , Eridano consumentes. paucos nonun-
 , quam cycnos conspeximus in fluminis
 , paludibus, qui incomtam & inamœ-
 , nam vocem, sonumque parum fir-
 , mum edere solebant, ita ut corvos
 , & graculos cum illis collatos, Sirenas
 , esse confirmare possis; cæterū, dul-
 , ce qviddam & optabile ut tu dicis, ne
 , in somnio qvidem caæentes audivi-
 , mus itaque demiramus, unde ista in
 , hominum opinionem venerint. Al-
 drovandi opinionem, arteriæ asperæ
 constitutio, non citius firmabit, qvam

CON-

(c) Vid. ejus dialog. de electro.

convellet, cum in tubæ modum protensa
asperum quid videtur sonitura, suave
non item. Imò detexisse dicitur anato-
mia senior, destitui hanc avem omni-
bus, quibus suavitas cantus juvatur. Et
licet aspera illa arteria, ad ejus volun-
tatem in tubæ modum esset reflexa,
quām tamen malè à causa finali argu-
mentetur, scribit Francisc. Villugh-
bejus; (*d*) quamvis inquiens, natu-
ra, ordinaria DEI ministra, semper agat ob
aliquem finem, nos tamen persæpe latet quis-
nam ille sit, nec raro evenit, ut longè diver-
sus sit ab eo quem nobis imaginamur, ut que
fallamur etiam cum eum certissimè tenere
credimus, nec alium esse posse opinamur, quam
quem nobis presumimus, Nihilo magis
favet Aldrovando Jul. Scaliger, (*e*) dum
in Cardanum, qui fuit ex castris adfir-
mantium, invehitur his verbis: *de cycni*
verò cantu suavissimo, quem cum mendacio-
rum parente Graciâ jactare ausus es, ad
Luciani tribunal, apud quem aliquid novi

C

di-

(*d*) *Ornithol.* pag. 273. (*e*) *Exercit.* 232.

dicas statuo se. Reliqui à veritate alienum esse dicentes, atque inde ut falsum explodentes hoc de cantu cycnorū commentum, sunt Athenæus vel Myn-dius apud illum; (f) Plinius, (g) Bodinus in suā methodo, (h) Barclajus (i) & Willughbejus, (k) ut alios hac vice ta-ceam.

§. VI.

Non sterilem fore in occupato hoc negotio laborem autumaverim, si ex occasione paucis vanitatem auguriorum excutiam, quò facilius, quæ Plato de divinandi facultate in cycnis posuit, vana esse cognoscamus. Eò dementiæ miseros atque semel deceptos, scimus abstractos fuisse mortales, ut postquam ingruit à lapsu perpetuus malorū metus, impenso agitarentur desiderio prospiciendi finem spei suæ vel metus, quò mala impenitentia evitare, futurosque

e-

(f) lib. 9. (g) Hist. Nat. l. 10. c. 23. (h) c. 4.

(i) Argentid. l. i. cap. 15. (k) Ornith. p. 272.

eventus sibi secundos polliceri possent;
 ac salvos se & incolumes præstare.
 Superstitiosa autem follicitudo facile si-
 bi persuasit, aves in aëre, hoc est, spi-
 rituum domicilio viventes, etiam eorum
 consiliornm participes esse, adeò
 que habere divinus aliquid, imò in
 cantu quoque quarundam earum quid-
 dam præsentiens & divinans esse cre-
 didit; unde auspiciis supra modum ad-
 dicti, nihil inchoarunt, aut moverunt,
 nisi consilio ab oraculis petito aut au-
 gurio ab avibus capto. Sed o! cæci-
 tatem eorum immensam & commisera-
 ratione dignam, quā, ad ludibria im-
 mundi spiritus pro divinis monitis ac-
 ceptanda, mentis oculis erant occæcati!
Quid aves cum hominum actionibus
 habent commercii? & quomodo ea, quæ
 in alienâ sita sunt voluntate, eis inno-
 tescunt? An temerarium non sit sta-
 tuere, DEUM arcana sua hominibus,
 ipsisque adeò Angelis planè ignota,
 avibus revelasse? Audiamus Isidorum, (1)

(1) lib. 10. orig. c. 7.

egregiè de vanitate auguriorum dicentem: cornicem, ajunt augures hominum curas significationibus agere insidiarum viae monstrare, futura predicere. Magnum nefas hoc credere, DELIM consilia sua cornicibus mandare. Simile nobis judicium de reliquis esto. Ideoque recte cecinit Ursinus: (m)

*Quærito Mæcenas laudes & commoda rerum,
Deme sed auguriis omnibusque fidem.*

& mox

--- Ipse DEUS fato meliore gubernat
Res hominum fidas (si sapit) ergo DEO.

Quod si advertas varios sæpe, eosque diversissimos, aliis prosperos, aliis funestos, ex eadem unius avis observatione eventus præ sagiri; facile hanc dementientium opinionem eliminabis, tanquam à Christianis præsertim animis longissimè removendam: nihil enim impedit, quin vaticinia isthæc damnent, quum præterea sæpius auspiciis intellexerint

præ-

(m) in Prosp. ad Angel. Suasim.

prædicta, quæ aut nullum aut contrari-
um sunt sortita eventum. Unde mul-
tos pro lubitu augurum prædictioni-
bus partuisse legimus, auguriumque con-
tra se edictum felici successu elu-
sisse, quorum exempla cupienti passim
in vitis Cæsarum suppeditabit Suetonius,
Ita Aexander Magnus illis, cum
in rem suam erant, usus est, si contra
respuit & contempsit. (n) At dices sagaci-
tamen naturæ instinctu, aëris mutatio-
nem præsentire? Respondeo id quidem
verum esse si explices quem ad modum
Virgilius: cuius hæc leguntur (o)

Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major:
Verum ubi tempestas, & cœli mobilis humor,
Mutavere vias, & Jupiter humidus austris
Densat, erant quæ rara modo, & quæ densa,
relaxat;

Verlunatur species animorum, & pectora motus
Nunc

(n) Vid. Curt. l. 7. c. 7. & l. 9. c. 4.

(o) Georg. l. 1. v. 415. & sequent.

Nunc alios, alios dum nubila veniebat agebat.
 Concipiunt: hinc ille avium concentus in agris,
 Et leta pecudes, & ovantes gutture corvi.

Si verò sui ob oculos versantis periculi,
 mortisque sint nesciæ, ceu pulchrè o-
 stendit Judæus Mosellanus, qui, teste
 Eusebio, (p) cum in exercitu Alexan-
 dri Magni juberet augur, ut staret exer-
 citus, conspectâ ave, scommate hoc au-
 spicem excepit, ave sagittâ icta: ful-
 lum est ab ave belli eventum velle doceri, que
 suam cedis non novit eventum; quid,
 existimabimus in alienis periculis esse
 prudentiores? Cum ergo, quantum
 mihi persuadeo, inepta hæc sit Platonis,
 ut ut celebris alias Philosophi, sententia,
 eandem, quoniam fas est, rejicio, mul-
 tò prudentiorem hac in re existimans
 Ciceronem, qui, licet & ipse habeatur
 fuisse augur illis, qui hinc fraudes col-
 legarum optimè & habuisse perspectas
 credunt, non sine risu tamen falsas & ina-

nes

(p) lib. 9. de prep. Evang.

mes eorum divinationes illudit atque da-
mnat. (q) Haut majoris momenti faci-
enda videntur illa, quæ habet Plato de
desiderio status imminentis, cum , ut
cæteris brutis, ita huic quoque avi de-
sit ratiocinandi facultas quâ de futuris
cogitet, eaque expetat; frustra enim ab
Apolline tantum esse dixeris donum,
quod elargiri solius DEI est.

§. VII.

Cæterū quoniam & Patrum quo-
rundam de hoc cantu opiniones ce-
lebrantur, sicco, ut dicitur, pede neqveo
eas transire, quò minus & hic contem-
plationi subjiciam. Existimat Nazian-
zenus sibilum istum, tantopere cantile-
næ nomine celebratum, ex comploſione
alarum resultare. Verba ejus sunt: (r)
Τίς ὁ οὐκυωποῦ συνθάριστος ἡδην, ὅταν ἐντε-
τάσῃ τὸ πτηγὸν τῆς ἀυραῖς, καὶ τοῦ μέλος το
σύριγμα; i. e. Quis cantum illum tam cycno
contexit, quo tempore alis in auram expassis
ejus

(q) lib. 2. de divinat. Sapius (r) Orat. 34.

ejusmodi fibilum edis, qui sit instar carminis? Et apud eundem (*f*) cycni ipsi: οται, inquiunt ἀνωμεν τῷ ζεΦύρῳ τὸ πτίρυγας ἐμπνεῦ ἥδυ τι καὶ ἐναρμόνιον, i. e. cum zephyro pennas nostras inflandas permittimus, ut suave quiddam, & concinnum inspires. Nec ab hâc sententiâ abludit div. Chrylosto-
mus. (*g*) Η̄ γένος πὶ πέφυκεν ἀνθρώπων τοῖς
προτίν εὐμεγοσσιν ὡσπερ τὰς κύκρες Φασὶ τοῖς πτε-
ροῖς; h. e. An unquam quoddam hominum
genus apparuit, quod naribus bene caneret,
quemadmodum cycnos facere ajunt? Simile
quid Statium quoque sensisse autumant
docti ad illud, (*h*)

Claraque gaudentes plauserunt limina cycni,
Exponentes plausum de alis. Sed hanc
retulisse sententiam, propemodum credo
est refutasse: nam quamvis verum esset,
quod inter volandum alæ sonitum ali-
quem darent, non tamen propriè cy-
cni dicerentur ἄστει, quod de ὄρνεσι με-
τικοῖς ἢ veteribus fuit usurpatum. (*x*) Nec
lua.

(*f*) in Epist. ad Cœlestium (*g*) Orat. 33. (*h*) Silv.
1. (*x*) Ælian. Hist. Var. l. 1. c. 14. in notis

suavis illa in voce harmonia aliunde dependet, quam ab asperæ arteriæ aptissima structuræ, seu laryngis, qui voces stringit, laxat, diducit, abrumpit variè que inflectit, & à constitutione linguæ. quâ aves veluti plectro voces modulantur, adde habitudinem rostri, quod voces commurmurat & explodit, in tracti aëris qualitatem & quæ alia habet Kircherus in Musurg. universali. (y) Hinc scripsit Aristoteles: (z) *Quibus lingua non est libera vocem non emitunt.* Et strepitum quem agitatæ per volatum alæ excutiunt, vocem esse negavit; unde multò minus suavioris concentus nomine venire meretur.

VIII.

His pro ingenii modulo simpliciter, expeditis, supereft ut indicem quâ occasione huic figmento imminuisse suspicer, Græcos Latinosque Poëtas. Nam cantum illum, ceu jam dudum

D

in-

(y) lib. I. c. 14. §. 3. (z) Hist. An. L. 4. c. 9.

innui, fabulis omnino accenseo. Sic enim res se habet judice Ampl. Rudbeckio: (a) quod Imminente brumâ, abitum moliuntur cycni, quoniam verò gregatim, Olao Magno testante, discedere cipiunt, clamoribus mutuis sese primum colligunt. Cumque eodem tempore & Sol versus austrum discedere videatur, hinc, ait, ingenio poëtico suggestam esse materiam, mœroris ac luctus fingendi ob solis discessum, qui discessus eadem fingendi licentiâ in mortem solis transiit. Similia nos Faninæ Icaldus docet, (b) scilicet, quod hyeme ingruente, Phœnix, per quam nostri solem intellegebant, in Æthiopiam avolet, cycnis, anseribus sylvestribus, hirundinibus, & aliis quibuscumque brumæ impatiens volucribus stipata, quarum ipsa dux esset, nemini tamen comitum majorem, quam cycno dolorem discessu suo creans, cuius tum cycnea audiebatur cantio, antequā paludibus Ponticis

five

(a) Atl. part. 2. pag. 249. (b) Rudb. ihid. p. 246.

sive Bothnicis exiret. Uni verò cycno leti-
fū ob solis abitū tribuerunt, quia volatiliū
postremus, sole discedente Septentrio-
nem deferat, in majoris tristitiae signum,
amicu cum hyeme nostrā communi.
Quod item per hanc avem solis vicissitu-
do à Veteribus nostris fuerit indigitata,
ludus adhuc in patriā nostrā ferè ubique
superstes, & Festo Julio (sive Nativi-
tatis Christi tempore) usitatissimus no-
bis commendat, appellatur iste **Swa-**
nesång; *leken/ cantio ludusque cycneus,* licet
jam non adeò religiosè numerus, ac à
priscis, observetur. Ratio ludieſt; quod
selectiſ binis ē grege ludentium, vesti-
bus lineis ac candidis induuntur, qui no-
mine cycni insigniti, ut colorem, ita vim
brumæ exhibebunt. Bini deinde fiunt
anseres, quibus quondam tricenti, nunc
pauciores, prout quandoque fors com-
pulerit, pulli adjunguntur anferini vo-
cati. Tum instituta saltatione, cycni in-
star postium oblongo linteo formant
limen, per quod tanquam ostium, omne
pul-

pullorum agmen, ducem suum anserem
sequens, irrumperet. Ibi saepius repetitâ
cantione in modum dialogi inter cy-
cnum ac anserem, semper ultimus pullo-
rum avelitur, donec tandem nemo su-
persit. Hæc forte cum hinc è Septen-
trione nostri quondam Majores ad Græ-
cos peregrinabantur, (peregrinati au-
tem sunt saepiusculæ, testantibus antiquis
nostris legibus) illis referebant ceu rem
sibi familiarem, cujus quia non capere
potuerunt rationem, ut sit, pro lubitu
explicuerunt. Quæ enim inaudierant,
tam docta eis visa sunt & concinna o-
mnia, ut facile plerorumq; animis in-
hælerit opinio, non esse fabulam, a-
licui rei aptatam, sed ut Hi protulerant,
ita quoque dictis planè veritatem sub-
esse. Licet verò idem penes ipsos non
responderet experimentis; spes tamen
de eo apud Eridanam audiendo, ex-
spectatione suspensos in fide detinuit,
donec Lucianus turpiter elusus, suâ ex-
perientiâ vanitatem declararet. Nihilo
mi-

minus ob fictionem adeò ingeniosam
sic eis placuit, ut poëmata, odasque
suas, eò, insuper aliis multis, similiter
à Nostris acceptis, tanquam exemplis,
aut narratiunculis, saltim ob antiquita-
tem in pretio habendis, aurum de-
mulcendarum gratiâ exornare atque
interpolare maluerint. Non autem mi-
rari licet, quod ita in errores inciderint,
cum ritè fabulam, aut quid per eam
intelligeretur, non perceperint; quod si
omnia eis innotuissent, quin rectius
quoque hâc de re dijudicassent, non
est quod dubitemus; hactenus Clarissi-
mus Rudbeckius.

Cæterum quandoquidem nobilis ar-
gumenti tractationem, mea tenuitas eò,
quò procul dubio quis sagacioris inge-
nii esset deducaturus, haut valeat ex-
tendere; quod simplici natum est inge-
nio, jejuniusque adulti, ne tibi huma-
nissime Lector, nimis dispiceat, affi-
duus sum orator, favoris insuper tui
dexteritatem ambiens, ut quæ deside-
ran-

rantur ex animo suppleas, erroresque
meos, si quando lapsus sum, benignè
interpreteris. Talis si beneficii non
fueris gravatus dare mihi exemplum,
erit cuius memor tuis vicissim
rebus nunquam non
studebo.

SOLI DEO GLORIA.



Eruditione & morum venustate
Politissimo Juveni

DN. BENEDICTO GRANODORI /
Amico sincere dilecto,
Disputationis hujus Authori ac Respon-
denti Pereximio.

Ex aviū cantu, mala, nec non prospera, fata
Gens sperare sibi barbara non verita est,
Tanta fuit genti circum præcordia nubes
Et menti rabies tam male sana fuit,
Scilicet his superos aperire futura phe-
tavie

Atque regi vitam talibus indicis.
Quæ quia ritè satis tua dissertatio acuta
Diluit, & monstrat qui canit albus
olor,
Hec ego non recinam multis, sed fausta
precabor,
Ut tua sic Dgminus capta probare velit,
Voce tua loqueris quæ nunc vel Apolline
digna

Olim Christicolis fata futura canas.

Sic ex Animo gratularur

JOH. ARGILLANDER.

Peregrinie DN. RESPONDENS,
Amice singulariter di-
lecte.

Pervigil arvorum cultor spe messis
in agris
Stat nunquam segnis, sed sedulus usq;
laborat,
Sedulus invertit rastris & vomere ter-
ram.

Haut secus invigilas literis, Sectator ea-
rum

Tu, cupiens posthac ex illis carpere
fructum.

Gratulor ex animo, quod curæ sint tibi
Musæ;

Perge tuis cæptis, quondam meminisse
laboris

Dulce Tibi fuerit, cum præmia grata
seqventur.

ERICUS Swahn.

